



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXVI. De S. Nicone Monacho Armenio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

C A P. XXVI.

De sancto Nicone monacho Armenio.

SAnctus Nicon professione monachus ex Armenia oriundus & vulgo, Pœnitentiam agite, dictus, eò quòd illud Ioannis vbique iugiter inclamaret, *Μενοειτε*; cùm primùm Orientis peragraffer regiones, Apostolatus sui primitias in conuersione Armeniorum ab innumeris quibus detinebantur erroribus, Deo consecrauit. postea verò diuino monitu missus in Cretam, vbi longa possessione Saraccenorum, propemodum iam in ea Christianitas defecerat ad Mahometismum, eam insulam bene instituit in fide Christi, indeque per vniuersam Græciam pœnitentiam suam prædicando peragrauit plura miracula vbi que operans & vberes fructus ex prædicatione colligens.

Baron.
anno 982.

Hic rogatus à ciuibus Lacedæmonijs, grauissimâ peste eos liberauit eâ lege vt omnes Iudæos (quos adeò auersabatur vt nec linguâ nec auribus nomen illorum vsurpare vellet, dicendus, acerrimus Iudæo-mastyx) vrbe suâ pellerent. quod & factum est.

Rei historia ita se habet. Anno 982. præter bella ciuilia & externa aliaque mala quibus Oriens afflictabatur, peste etiam laborauit. cùm ad eam curandam Lacedæmonij destituti humano auxilio ad opem diuinam implorandam assurgunt, legationemque decernunt ad Niconem virum sanctissimum. festinè ad illum ciues primarij & alij è plebe certatim conuolarunt, enixè orantes vt Spartam vsque venire velit. inuaserat enim ciuitatem pestifera lues & plurimos incolas absuuebat,

T bant

bant quòd se diuinis eius precibus liberandos confide-
rent. ille verò & cetera misericors & in eos maximè qui
eius populus & fors futura essent, tamquam ventura præ-
sagens eoq̄ue in illos propensor, & legationem benignè
exceptit, annuitq̄ue petitioni, & ingruentis mali propulsa-
tionem spondit si modò ipsi Iudaicam gentem ex sua
vrbe pellerent, ne execrandis eorum moribus piaculisq̄ue
religionis suæ diutiùs eam contaminarent. In his, ait, si me
audieritis, & pestis à vobis recedet, & ego quod superest
vitæ ducam vobiscum. Quibus verbis & monita alia adij-
ciens sacras etiam Ieremiæ voces subinde aspergebat: *Via
tua fecerunt hæc tibi, & iniquitates tuæ præualuerunt, & duro
Iudæo percussa es*. Cumq̄ue illi eius oratione commoti seipso
condemnarent, atque omnia quæ iusserat facturos promit-
terent, nihil amplius cunctatus cum legatis illis profectus
est non cantherio aut lectica vectus, nec multo comitatu
stipatus, sed solo virtutum choro circumseptus. Ad eius
porrò aduentum lues cessauit & Iudæi pulsi sunt. Videres
igitur adcurrentes quotidie ex vniuersa Peloponneso æ-
grorum omnis generis cateruas quibus ille non minùs
animæ quàm corporis curam impendebat: mellitis enim
adhortationibus ad pietatis zelum eos accendebat: ad sa-
lutem vnumquemq̄ue suam pœnitentiæ ope disponebat.
Fortunata verò Lacedæmon quæ talem medicum sortita
es cuius diuinis præceptis ac disciplinis ad omnem virtutis
formam multò certius rectiusq̄ue, quàm inanibus olim Ly-
curgi legibus effingebare!

Illud de imagine huius sancti viri tacendùm non arbi-
tror ad instructionem illorum qui eos damnant qui effigiẽ
suam adhuc in viuis existentes, aut parentum vel amico-
rum demortuorum curant depingi. Ioannes Malacenus
vir nobilissimus & sancto Niconi deuotissimus, cùm eum
iam ad immortalẽ vitam migrasse cognouisset, vt saltem
optabilem

optabilem eius vultum quotidie aspicere posset pictorem
 aduocat arte manuque insignem, & qualis habitu, veste,
 capillis Sanctus hinc fuisset, verbis designat: tum aptis colo-
 ribus totam eius imaginem in tabula exprimi iubet. Reuer-
 sus domum pictor, accuratissime quam posset, quod iussus
 fuerat exequi cœpit: verum post varios conatus frustra tã-
 dem se laborare animaduertit. in hac igitur cura versanti
 vehementerque dolenti quod oris lineamenta effingere
 non posset, ante oculos repente extitit monachus quidam
 qui in ædes clam penetrauerat, staturâ procerus, habitu ere-
 mitico, obsoleta veste amictus, coma squallens, capillitio
 barbaque niger: in omnibus denique B. Viro simillimus;
 nam & virgam manu gerebat cuius apex in crucem defi-
 nebat, qui pictore comiter salutato mœroris sollicitudinif-
 que causam sciscitatus est. ille verò & causam mox ape-
 ruit & operis difficultatem demonstrauit. tum leni ad eum
 voce Monachus: Me, inquit, aspice frater; mihi per omnia
 similis est quem depingis. vt ergo acrius in illum oculos
 intendit pictor penitusque circumspexit, illum ipsum esse
 cognouit quem Malacenus verbis designauerat. quare ad
 tabulam reflexus vt inspectam formam imitaretur, ô rem
 admirandam! sacram ter beati effigiem in tabula suis li-
 neamentis suapte expressam sponte videt. cumque mira-
 culo obstupefactus ad Sanctum subito, *Kyrie eleison*, cum
 horrore in clamans se vertisset, eum amplius non vidit. iam
 enim auolauerat. Non improbandus ergo eorum affectus
 est qui parentum suorum aut maiorum vel etiam amico-
 rum qui veris virtutibus claruerunt, memoriam per imagi-
 nes conseruare student. Illustre exemplum habemus in S.
 Romano Pontifice Gregorio magno: is enim artificiali-
 ter depingi iussit duas icones veterrimas quæ in atrio
 Gregoriani in Saxonia monasterij vsque hactenus vi-
 sentur, inquit Ioannes Diaconus, in quarum altera
 T 2 beatissimus

Baron. ex
 agis S.
 Nicon. an.
 no. 998.

Vite Greg.
 l. 4. c. 83.

beatus Apostolus Petrus sedens stantem Gordianum re-
 gionarium, videlicet patrem Gregorij, manu dextrâ por-
 dextram nihilominus suscipit. in altera verò mater Gre-
 gorij sedens, depicta est duobus dextrâ digitis signaculo
 crucis se munire velle prætendens, cum subscriptione: Gre-
 gorius Sylviæ matri, imò verò Gregorius ibidem eiusdem
 artificis magisterio depictus in rota gyplea ostenditur ha-
 bens Euangelium in sinistra, modum crucis in dextra. cir-
 ca verticem verò tabulæ similitudinem quæ viventis in-
 signe est præferens, non coronam. hinc enim discimus, in-
 quit Ioan. Diaconus, quàm vetusto more Ecclesiæ Sanctis
 ad verticem capitis appingatur scutum rotundum siue co-
 rona. & quòd viventibus huiusmodi scutum siue corona vitæ
 non solet appingi, sed alterius formæ in signe. quod cuius-
 modi fuerit indicat Guilielmus Durandus dum in Ratio-
 nali scribit: Cùm verò aliquis Prælati aut Sancti viuentis
 pingitur, non in formam scuti rotundi, sed quadrati, coro-
 na ipsa depingitur, vt quatuor cardinalibus virtutibus vige-
 re monstretur, prout in legenda B. Gregorij habetur. Ex
 quo manifestissimè colligitur quòd Gregorius dum adhuc
 viueret suam similitudinem salubriter depingi voluit in
 qua posset à suis monachis non pro elationis gloria, sed
 pro cognitiæ distinctionis cautela, frequentius intueri, in-
 quit idem Ioan. Diaconus, & ex eo Ioan. Molanus, qui sub-
 dit: Cùm verò Saluator noster putetur quibusdam sui ima-
 ginem non manu pictam, sed diuinitus reliquisse, vt A-
 bagaro regi & Veronicæ, & Gregorius Magnus hinc legatur
 suis monachis seipsum in effigie pariter reliquisse, constat
 manifestè non in vniuersum humano affectu eos laborare
 qui se in imaginibus exprimi cupiunt. Verùm meminerint
 illius quod Ammianus Marcellinus monet: Quidam, in-
 quit, æternitate se commendare posse per statuas existi-
 mantes, eas ardentè affectant quasi plus præmij ex fi-
 gmentis

li. 1. ca. 30.

cap. 84.

lib. 14.

gmentis æreis sensibus carentibus adepturi, quàm ex conscientia honestè rectèque factorum : easque auro curant in bracteari. quàm autem sit pulcrum exigua hæc spernentem & minima, ad ascensus veræ gloriæ tendere longos & arduos, vt memorat Ascreus, Censorius Cato monstrauit, qui interrogatus quam ob rem inter multos nobiles statuam non haberet; Malo, inquit, ambigere bonos quam ob rem id non meruerim, quàm, quod est grauius, cur impetrauerim, mussitare. Certè Alexander Macedo vt æternitate effigiem suam consecraret, noluit se pingi aut sculpi nisi à maximis artificibus Apelle & Lysippo iuxta illud Horatij:

Edicto cavit ne quis se præter Apellem

Pingeret: aut alius Lysippo duceret ara

Fortis Alexandri vultum simulantia:

li. 2. epist.
ad Octau.

ita fere Molanus; qui etiam monet ex huiusmodi picturis quorundam nimium affectibus suis indulgentium primam vitæ humanæ deceptionem ortam fuisse, vt pulerè & fuscè docet Sapiens; quem tu vide; vbi ait : Acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia, &c.

lib. de pict.
cap. 52.

Sap. 14.

”

”

”

”

”

CAP. XXVII.

De sancto Theodoro Siceorum archimandrita.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, inquit regius Propheta David. Sic & in hoc Oriente sanctus succedit sancto velut vnda superuenit vndam. In Galatarum regione oppidum est quod

Surius
22. Aprilis

T 3

Siceon